



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1857

VIII. Markgraf Woldemar legt die Handelsstraße von Berlin und Frankfurt nach Niederfinow über Neustadt-Eberswalde und bestätigt dieser Stadt die Niederlags-Gerechtigkeit, am 30. Oktober 1317.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54734](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54734)

VIII. Markgraf Woldemar legt die Handelsstraße von Berlin und Frankfurt nach Niederfinow über Neustadt-Eberswalde und bestätigt dieser Stadt die Niederlags-Gerechtigkeit, am 30. Oktober 1317.

Woldemarus, Dei gratia Brandenburgensis et Lusatie Marchio, omnibus in perpetuum. Cum nostri debitum exigat regiminis, solerter nostrorum procurare commoda subditorum, Nos ergo defectum ciuitatis nostre Everswalde specialiter in oculis nostre compassionis habentes, ipsi civitati ac civibus ibidem, presentibus et futuris, tali duximus sublevamine consulendum, quod universi currus, qui per stratam, de Frankenforde et terminis adiacentibus, ac de Berlin et terminis quoque adiacentibus, tendentem versus Vinowe inferiorem, consueverunt procedere, de cetero communiter versus Everswalde, civitatem predictam, facient gressus suos. Quicumque vero curruum alias transiens fuerit deprehensus, trium talentorum denariorum Brandenburgensium penam luet, quorum unum cedit civitati, duo vero nobis. Ipsi quoque cives pontem construunt supra aquam Rogose et constructum perpetuo suis sumptibus conservabunt. Preterea Naves omnes, que per ascensum vel descensum Odere in dicta inferiori Vinow ad portum erunt applicature et statum ac moram ibidem facture, pro rebus exponendis et curribus deportandis ulterius per alveum aque Vinowe versus Everswalde cum rebus transibunt et ibidem statum facient, resque exponant curribus deducendas. Omnia etiam et singula sicut in Everswalde de premissis curribus et navibus, que ab ipsis de iure vel de consuetudine in inferiori Vinowe predicta fieri consueverunt. Demum dedimus et per presentes literas damus eisdem civibus ac civitati locum molendini in predicta Vinow possidendum iusto proprietatis titulo ad transitum et meatum liberum de Everswalde in predictam Oderam et in Everswalde de Odera faciendum. Et ut hec nostra gracia dicte nostre civitati data in omni parte sua maneat semper firma, hanc literam super eo dari iussimus, nostri sigilli robore communitam perpetuis temporibus valituram. Testes quoque presentes fuerunt nobilis vir Dominus Gunterus Comes de Keuerenburg, Conradus de Redere, Fridericus de Alvensleue, Droyseco, Slotekow, Hasso et Wedego de Wedele, nostri milites, Hinricus ecclesie Stendaliensis Decanus, Everardus prepositus Stolpensis, Hermannus de Luchowe, nostri capellani, cum aliis fide dignis. Actum et datum in nostra prefencia Boetzowe, Anno domini M. C. C. C. septimo decimo, Dominica ante festum omnium sanctorum.

Nach einer alten Copie.

IX. Markgraf Woldemar schenkt der Stadt und den Bürgern zu Eberswalde das Lichterfelsche Bruch, am 9. Februar 1319.

Ad perhennem rei memoriam. Nos Woldemarus, dei gracia Brandenburgensis et Lusatie marchio, recognoscimus et tenore presentis litere publice profiteamur: Quod quia superiorum proprietas est vtilitati prouidere subditorum et eorundem incommodis obuiare, ad emendationem civitatis nostre in Everswalde dedimus et presentibus literis libere donamus paludem